



Maximilianus illustris comes Buranus apud Belgas natus & educatus fuit. Is ab ineunte ætate armorum exercitia secutus, tandem magnā rei bellicę peritiam nactus est. Itaq; Carolus Cesar eum summopere dilexit, & in magno loco habuit. Nam huius uirtute factū, ut in multis locis uictor extiterit. Id cum Heinricus Angliæ rex cognouis-
set, anno 1544 eum magna pecunia cōduxit, ut con-
tra Gallum ordines duceret, atq; Lantzigeris p̄-
esset. quod etiam Maximilianus Cæsaris uolunta-
te strenue perfecit, adq; æquas pacis conditiones
Gallum adegit. Cum autem postea bellū Germani-
cum oriretur, Imperator 1546 mandauit, ut per infe-
riorem Germaniam equites & pedites quot posset conscriberet. Is ergo om-
ni exercitu confecto, qui erant equitum ad 4000, peditum ad 10000, & in his a-
liquot Hispanorum & Italorum cohortes, qui Britanniæ regi contra Gallum
militauerant, Augusto mense progressus ē Belgio, supra & infra Moguntiam,
& ubi cunq; esset nauium facultas, Rhenum trāsmittit, licet ad alteram ripam
essent à Smalkaldicis copiæ dispositæ, Christophero Oldenburgo & Riffen-
bergo ductoribus, qui illos transitu prohiberent.